

inter partes ipse cognovit; ubi eos vehementissimè detestatur innocentiam Cæciliani fuisse sepeperatos. Quæ si voluerit, audiet, & tacebit, & desinet insidiari veritati: quanquam nos non tam de istis documentis præsumamus, quàm de Scripturis sanctis; ubi hereditas Christi usq; ad terminos terra promissa est in omnibus gentibus; unde isti nefario schismate separati jactant crimina in paleam messis Dominicæ, quæ necesse est usque ad finem permixta toleretur, donec ultimo judicio tota area ventiletur. Unde manifestum est, ista crimina, seu vera, seu falsa, non pertinere ad frumenta Dominica, quæ per totum agrum, id est, istum mundum, usque in finem seculi oportet crescere: sicut, non falsus angelus in hujus errore; sed Dominus in Evangelio loquitur. Ideoque in Christianos innocentes, qui per totum orbem malis Christianis, tanquam paleæ suæ, vel zizaniis, permixti sunt, multa falsa crimina & vana jactantibus his miseris Donatistis meritò Deus reddidit, ut Maximianistas apud Carthaginem schismaticos suos Primiani damnatores, extra Primianum baptizatores, post Primianum rebaptizatores, universali concilio suo damnarent, ut eorum numero, post non parvum tempus, quosdam in honoribus episcopatus sui, Felicianum Musitanum & Prætextatum Assuritanum, cogente Optato Gildoniano, susciperent cum omnibus, quos damnati extrâ baptizaverant. Quòd si ab eis, quos ore proprio tanquam sceleratos & sacrilegos damnaverunt, & quos illis primis schismaticis, quos vivos terra obruit, comparârunt, non maculantur, cum eis rursus in honore suo receptis communicant; evigilent aliquando, cogitent, quantâ cecitate, & quantâ insaniâ dicant, orbem terrarum ignotis Afrorum criminibus esse maculatum, & hereditatem Christi, quæ promissa exhibita est in omnibus gentibus, peccatis Afrorum per contagionem communicationis fuisse deletam; quando se nolunt deletos & maculatos videri, dum eis communicant, quorum crimina cognita judicârunt. Quapropter cum Paulus Apostolus iterum dicat, quia ipse Satanas transfiguratur se in angelum lucis; unde non esse mirum, si ministri ejus transfigurant se, sicut ministros justitiæ; si verè iste aliquem angelum vidit erroris nuncium, & de unitate catholica Christianos separare cupientem, ipse passus est angelum Satanæ transfigurantem se, velut angelum lucis. Si autem mentitur, & nihil tale vidit, ipse est minister Satanæ, transfigurans se, velut ministrum justitiæ. Et tamen ista omnia considerans, si nimium perversus & pertinax esse noluerit, poterit ab omni, vel aliena, vel propria, seductione liberari. Nos enim per occasionem tuam sine aliquo odio convenimus, hoc circa eum servantes, quod Apostolus dicit: *Servum autem Domini litigare non oportet; sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes; si fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,*

Ggggg 3

Cre-

Ps. 2. 8.

Matth. 3.

12.

V. Aug.

lib. 2. (1.)

cōtra Gau-

dentium,

sub fin. G

Ep. 204.

753.

Num. 16.

31.

2. ad Cor. 11.

14. 15.

2. ad Tim.

2. 24.